

versis repetitur; ita ex. gr. Ps. II, 4: « Qui habitat in coelis iridebit eos, et Dominus subsannabit eos: » Prov. II, 21 et 22: « Qui enim recti sunt habitabunt in terra, et simplices permanebunt in ea. Impii vero de terra perdentur: et qui inique agunt, auferentur ex ea, » et ita aliis sexcentis locis. Alter autem, seu *antitheticus*, tunc habetur cum alterum membrum rem contrariam sistit, ita ut ex eius oppositione alterum illustretur. Uti ex. gr. Prov. XII, 1: « Qui diligit disciplinam diligit scientiam: qui autem odit increpationes insipiens est, » et vers. 3: « Non roborabitur homo ex impietate: et radix iustorum non commovebitur » et vers. 6: « Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos » et ita in reliquo capite, et in tribus sequentibus per totum. In quibusdam locis coordinatio vel oppositio paulo complexior est, ita ut non bina, et bina procedant, sed vel terna, ut Os. VI, 1 et 2, vel quaterna, ita ut primum membrum tertio, et secundum quarto respondeant, ut ex. gr. Ps. XXXII, 3, de quibus plura disputant Rob. Lowth: *De poesi hebraeorum sacra* §. 31, et Iahn vel Ackermann Archaeolog. Biblic. §. 91; qui praeterea parallelismum *synonymum* distinguunt ab aliis duobus, sed hic iuxta notionem superius explicatam ad syntheticum revocari potest. Ex his vero facile intelligitur parallelismum poeticum interpreti attente considerandam esse, et ex eo emolumentum derivari posse pro Scripturae intelligentia. Cum enim partes sermonis ita artificiose collocatae sint ut altera alteri respondeat, manifestum est eas invicem sibi lucem affundere, et si una obscura est ex altera illustrari posse; ita ex. gr. Ps. LXXV, ubi Vulgata legit: « Et factus est in pace locus eius: et habitatio eius in Sion » alterum hemistichium indicare videtur in primo hemistichio pro pace legendum esse Salem (seu Ierusalem) quae vox simul in hebraea lingua pacem significat: quod etiam praecedentia et antecedentia confirmant. Ita etiam in cantico Zachariae Luc. I, 79 quid sint *tenebrae* et *umbra mortis* illustratur ex antithesi cum *via pacis*, idest, prospera et tranquilla vitae ratione. Ex parallelismo etiam colligitur quid in sermone poetico, saepe conciso et elliptico, supplendum sit. Ita ex. gr. Prov. X, 14: « Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusioni proximum est. » Ex altero membro intelligitur prioris sensus, et quid in utroque subintellectum sit: idest sapientes prudenter ta-

cent de multis, quae sciunt, et ideo nihil adversi patiuntur: stulti vero ea quae sciunt temere blaterantes ignominiam et damna sibi comparant. Ita quoque Cap. XII, 13 legitur: « Propter peccata laborum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia; » subintellige propter vigilantiam, qua labia sua custodit.

In libris N. T. quaedam peculiaria et propria occurrunt in Iohannis et Pauli scriptis, ut alias animadvertimus. Ita voces *λογος*, *Testimonium*, *Antichristus* peculiarem habent usum in Evangelio, Epistolis, et Apocalypsi Iohannis: et voces *Lex*, *peccatum*, *fides*, *homo carnalis* et alia nonnulla peculiarem habent sensum in epistolis Pauli Apostoli. Peculiaris quoque est Evangelii usus parabolarum, et sensus parabolicus, de quo aliqua superius notata sunt.

Haec omnia igitur prae oculis sunt habenda, ne quis communes notiones aut consuetas regulas applicet iis locis, ubi constat Hagiographum seu cogitando, seu loquendo ab illis plus minus recessisse. In his tamen omnibus maturo iudicio, et exquisita prudentia opus est, ne forte consuetos verborum sensus ab interprete relinquatur, temere et absque solido fundamento, vel etiam, quod gravius esset, ob praeiudicatam aliquam opinionem, peculiare cogitandi modos et loquutiones supponendo aut fingendo ubi revera non adsunt.

CAPUT III.

DE CRITERIIS ET REGULIS HISTORICIS BIBLICAE INTERPRETATIONIS

Praeter loquendi usum, et internam cogitationum indolem et connexionem, etiam *externae* circumstantiae loci, temporis, rerum ac personarum in sermonem influunt, eiusque sensum saepe determinant: unusquisque enim verba sua accommodat circumstantiis, in quibus loquitur vel scribit. Quare interpres has quoque investiget necesse est si vult mentem sacrorum Scriptorum perfecte intelligere et assequi. Apte rem explicat cl. Ranolder: « Ut paucis, inquit, omnia complectar: lector et interpres, ut ultra corticem penetrare valeat in mentem auctoris, historica adiuncta, omnemque indolem auctoris, et auditorum, primorumve lectorum, quoad eius fieri potest, sibi familiarem reddere, atque tum se totum in locum, aetatem, conditionem et circumstantias auctoris cogitando

transferre debet: nam nonnisi sic demum sensum dictorum plene perspiciet, » et, ut paulo post addit: « Si auctorem intelligere nihil aliud est quam ubi vis eadem cogitare quae, dum loqueretur aut scriberet ipse cogitavit, in promptu est, non in solis verbis utcumque perceptis, neque in sola sensus seu singularum vocum, seu integrorum locorum cognitione aquiescendum, sed porro obnitendum esse ut quidquid rerum seu sensibus subiectarum, seu sola mente intelligendarum commemoratur, earum rerum notio non alia informetur, quam quae auctoris animo est observata. » Cum autem in tanta temporum antiquitate huiusmodi rerum, et circumstantiarum notitia nonnisi ex antiqua historia comparari possit, fit ut huiusmodi investigatio historica dicatur, et criteria ac regulae ad eam pertinentes *historicae* etiam dici possint, et considerari seorsim a regulis philologicis et logicis hucusque traditis (1).

Quoniam vero circumstantiae praedictae multiplices esse possunt oportebit eas ad quaedam capita revocare: dicemus autem imprimis pauca de singulis capitibus, et de utilitate quae ex iis derivari potest in interpretatione Sacrae Scripturae, deinde vero fontes indicabimus unde earum notitia haurienda est, additis quibusdam monitis seu cautelis in horum applicatione servandis.

ARTICULUS I.

DE VARIIS CLASSIBUS CIRCUMSTANTIARUM EXTERNARUM, EARUMQUE USU HERMENEUTICO

Circumstantiae externae, quae usum hermeneuticum praestare possunt, in tres classes distribuendae videntur: vel enim respiciunt personam scriptoris seu loquentis, vel personas auditorum aut lectorum, id est eos ad quos sermo dirigatur, vel denique res aut personas, de quibus est sermo. Ex his omnibus bene perspectis sensus singulorum locorum mirifice declaratur, persaepe sine earum notitia sensus omnino percipi nequit. Hinc generalis regula: *Sententiae Sacrae Scripturae intelligendae sunt eo modo qui conveniat externis*

(1) Hoc ita intelligendum est, non quatenus historicae notitiae nullum prorsus locum habeant in tractatione regularum philologicarum et logicarum, sed eo sensu, quod tertia haec classis regularum peculiari modo, et undequaque historica sit, ut iam superius dixeramus.

circumstantiis, in quibus auctor scribebat seu loquebatur. Verum operae pretium erit haec in specie considerare.

I. Circumstantiae *ipsius auctoris*, vel loquentis revocari possunt ad ipsius patriam, religionem, statum civilem, vicissitudines, et ad peculiaria externa adiuncta, in quibus versabatur cum scriberet in quantum haec influxum exercebant in eius loquendi, vel scribendi rationem. Ex horum omnium consideratione interpretes iudicabit quousque sensus verborum urgendus sit, an propria eorum significatio accipienda sit, an metaphorice sicut intelligenda, aut etiam significatione paullisper diversa a communi usu; rationem quoque sibi reddere poterit de iis quae prima fronte inopportuna videntur, vel etiam errorem aut vitium continere. En aliqua exempla. Qui legit initium Epistolae ad Galatas mirari posset de singulari illo titulo: « Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis, et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiae Galatae: » quae ampullosa et superflua viderentur, et a Pauli more abhorrentia, nisi quis consideret Apostolum apud Galatas illos diffamatum fuisse a quibusdam falsis praedicatoribus, qui ut errorem suum de necessitate et efficacia legalium facilius insinarent eundem Apostolum deprimere satagebant, et dubia adversus eius Apostolicam missionem spargebant: quorum audaciam retundens Paulus sui Apostolatus originem et veritatem inde ab exordio epistolae in mentem lectorum revocat, et multis deinceps confirmat. Ita etiam lex ab Apostolis lata Act. XV de non comedendis carnibus idolis immolatis manifeste accipienda est non uti lex absoluta, et perpetua, sed tantum temporaria ob illius temporis et loci circumstantias; siquidem Iudaei Ierosolymae praesertim degentes ea re maxime offendeantur, ad quorum scandalum vitandum praeceptum illud ethnicis ad finem venientibus Apostoli prudenter imposuerunt: quare remota illa circumstantia non multo post etiam praeceptum cessavit, ut apparet ex Rom. XIV, 2, et 1 Cor. VIII. Si quis attendat Paulum Epistolam ad Romanos, et Petrum suam priorem Epistolam scripsisse cum iam saevissima persecutio in Christianos iussu Romani Caesaris orta esset, unusquisque intelliget quanto gravius sit pondus eorum, quae leguntur Rom. XIII, 1 et seq. 1 Pet. II, 13, quibus reverentia et subiectio erga civiles magistratus

praescribitur. Ea quae Lucas refert in primis duobus capitibus Evangelii de iis quae praecesserunt vel consequuta sunt Christi natiuitatem sub aspectu historico et critico grauiora apparent ex ea circumstantia, quod Lucas post Christi ascensionem cum beata Maria Virgine diu commoratus et familiariter colloquutus fuerit. Verba Davidis in Ps. L: « *Tibi soli peccavi, et malum coram Te feci* » proprio ac stricto sensu accipienda esse intelligitur ex ea circumstantia quod peccatum adulterii et homicidii, ad quod Propheta ibi alludit, clam commissum, et ab hominum notitia studiose et callide celatum ab eo fuisset.

II. Circumstantiae auditorum, vel primorum lectorum pariter attendendae sunt ut sensus Scripturae recte percipiatur. Considerandum est scilicet quinam sint ii, ad quos sermo dirigitur, rudes ne an docti, amici an inimici, boni an mali, quibusque affectibus, opinionibus aut erroribus imbuti fuerint: ad haec enim loquens vel scribens attendere debuit, iisdemque circumstantiis sermonem accommodare, qui proinde, iis non perspectis, recte ac plene intelligi nequit. In specie vero ex hac consideratione interpres discet quibus terminis sententiae circumscribendae sint, utrum scilicet prout sonant accipiendae, an vero ultra obuium sensum extendendae, vel contra mitigandae sint; discet quoque nonnulla non iuxta logicum rigorem, sed accommodate ad subiectivum auditorum vel lectorum statum dicta esse; demum plurium quae scripta sunt rationem intelliget, quae, ignoratis auditorum circumstantiis, inverosimilia aut inopportuna viderentur. En quaedam exempla. Praecepta illa alias memorata Matth. V, et VI de non iurando, de non resistendo inimicis et alia similia ex hoc criterio, seu ex circumstantiis auditorum, intelligenda sunt cum restrictione: diriguntur enim immediate ad Iudaeos Christi coevos in quibus abusus in iureiurando adhibendo, et in iure suo repetendo frequentissimus erat, quem ibi Christus corrigere volebat. Christus Dominus Matth. XXII, 34, seqq. demonstraturus corporum resurrectionem hoc argumento utitur: « De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob? non est Deus mortuorum sed viventium. » Quod quidem argumentum per se sumptum logicè non concludit. Sufficeret enim ut Abraham, Isaac, et Iacob vivant quod pertinet ad

animam, ut Deus dici posset eorum Deus. Verum considerandum est sermonem illum dirigi ad Sadducaeos, hos autem in eo errore fuisse, ut crederent nihil hominis post mortem superesse, negabant enim animae spiritualitatem, et hac de causa induci non poterant, ut crederent futuram corporum resurrectionem, quae utique in gratiam immortalium animarum facienda est. Christus igitur accommodate ad eorum mentem argumentum proponit, quod ipsis convincens erat: quare additur in textu (vers. 34) eos ad silentium redactos fuisse. Quod legitur Matth. XXVI, 62 seqq. Christum a multis testibus coram summo pontifice accusatum nihil respondisse, quamvis a principe sacerdotum ad hoc urgeretur, ex circumstantiis illarum personarum optime explicatur: testes enim futilia prorsus afferebant neque inter se conveniebant, ideoque responsionem non merebantur, iudices autem ita erant praeiudicati et ad Christum per fas aut nefas perdendum proclives, ut defensio quaelibet, et veritatis declaratio inutilis fuisset. In sermone Christi post ultimam coenam habito ad discipulos legimus promissionem Paracliti Io. XIV, 16: « Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis etc. » quibus verbis rationalistae contendunt nihil aliud promitti, quam ordinarium divinae providentiae auxilium: sed obstat circumstantia auditorum, illud enim Christus aiebat ad suos Apostolos, qui cum intellexissent sese brevi magistrum amissuros vehementi tristitia angebantur, quos proinde Dominus solatur hunc alterum Paraclitum, idest *consolatorem*, sui loco promittens: est ergo admittenda ibi promissio ipsius Spiritus Sancti et supernaturalium ac specialium eius charismatum. In legendo Evangelio saepe miramur cur Apostoli alique discipuli non intelligerent quae Christus de sua passione ac morte frequenter praedicebat, quae nobis tam clara et aperta videntur ex. gr. Matth. XX, 18, 19, Mr. IX, 30, Luc. IX, 44, ubi additur: *at illi ignorabant verbum. Illi ignorabant verbum istud; et erat velatum ante eos ut non sentirent illud.* Verum cessat admiratio si consideremus Iudaeis tunc temporis, ipsisque discipulis alte defixam animo fuisse ideam Messiae tanquam regis temporalis et gloriosi, a quo esset restituendum regnum Israel: unde tanta difficultas in intelligendis iis quae de ipsius Christi ignominia, passione ac morte di-

cebantur. Verba Pauli Phil. II, 40: « In nomine Iesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum » de vera adoratione quae soli Deo debetur intelligenda esse ex eo etiam suadet; quod apud Philippenses caeterosque Graecos haec tantum erat notio subiecta verbo *genuflectere*, προσκυνεῖν, quod contra apud Hebraeos aliosque Orientales latiore habet significationem, et etiam de civili cultu, ac reverentia passim adhibetur. Plura alia exempla ex Pauli epistolis afferri possent, in quibus multa ex conditione et circumstantiis lectorum explicanda sunt, et ex iis lucem accipiunt: hinc ex. gr. intelligitur cur in principio Epistolae ad Romanos universae Ecclesiae fidem Romanorum fidem appellet Rom. I, 8, eosque cum quadam reverentia alloquatur, et quasi timeat ad eos instruendos accedere (ib. 11 et 12), quia scilicet iam a Petro instituta Romana Ecclesia super alias omnes coeperat habere primatum; intelligitur etiam cur ad Corinthios scribens tam frequenter et tam vehementer carnalia vitia insectetur, et animi demissionem, et vanae scientiae contemptum et factis et verbis insinuet: haec erant scilicet quibus Corinthii, gens corruptissima moribus, et de philosophiae scientia superbiens, prae ceteris indigebant. Ita etiam ad Galatas scribens tam acriter instat ut Legis Mosaicae ritus dimittant, et ad Hebraeos ut Christum legislatorem et sacerdotem Moysi et Aarons longe praefendum esse agnoscant, quia scilicet his contraria praeiudicia illorum animis inhaeserant. Item Pauli oratio Act. XVII praeter morem artificiosa est, rhetorica simul et philosophica: recitata enim est in Areopago Atheniensium philosophorum, qui humilem et incomptum sermonem procul dubio despexissent. Ex hoc fonte etiam intelligitur cur Hagiographi N. T. tam concise et obscure de quibusdam doctrinae capitibus loquantur, quia scilicet ad eos scribebant qui illis veritatibus iam plene imbuti fuerant, et ulterius deinceps imbuendi erant per oralem et quotidianam Apostolorum praedicationem.

III. Denique rerum et personarum de quibus fit sermo indoles, et circumstantiae latissimum interpreti campum suppeditant, in quo suum ingenium suamque eruditionem exerceat. Nam ex una parte horum notitia ad perfectam plurium Scripturae locorum intelligentiam omnino requiritur, ex alia vero res istae saepissime a no-

stris moribus nostraque cogitandi ratione longe discedunt, quapropter earum cognitio studiosae comparanda est.

Et ut de personis primum dicamus; quod legitur Matth. II, 16-18 de strage puerorum Bethlehemiticorum a nonnullis recentioribus criticis, utpote inverosimile reicitur: verum etiam critice loquendo factum illud maxime credibile est, considerato Herodis characteris, qui a Iosepho Flavio describitur ut maximae crudelitatis, ita ut ambitionis et suspitionis plenus plures ex optimatibus iniusta morte multaverit, nec ipsi uxori ac filiis pepercerit. Ita quoque ratio agendi Pontii Pilati qui clamoribus populi permisit se ad innocentis Christi supplicium decernendum induci explicationem accipit ex characteris Tiberii Caesaris, cuius nomine Pilatus Iudaeam administrabat, ut alias animadvertimus. Simile exemplum occurrit Act. XXIV, 25 de Felice praeside: « Disputante autem illo (Paulo) de iustitia, et de castitate et de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: quod nunc attinet, vade; tempore autem opportuno accersam te. » Cur Paulus de his rebus coram Felice disseruerit, et cur iste tanto terrore percussus fuerit clarius intelligitur ex conditione in qua Felix tunc versabatur: de illo enim narrat Tacitus lib. V Histor.: « Antonius Felix per omnem saevitiam et libidinem ius regium servili ingenio exercuit. » Huc etiam referri possunt nonnulla exempla superius adducta, ut de lege ab Apostolis lata Act. XV, de matrimonio et divortio Matth. XIX, aliaque nonnulla, quae ex circumstantiis personarum de quibus est quaestio lucem accipiunt.

Haec tamen historica investigatio multo latius patet cum sermo est de rebus, quarum in Scripturis fit mentio, quaeque nobis minus familiares sunt aut etiam in quibusdam adiunctis a nostra consuetudine omnino remotae, uti sunt ex. gr. animalia quaedam, vestium, ciborum et habitationis ratio, privatae et publicae consuetudines, de quibus passim loquuntur Hagiographi nunc historice, nunc per quasdam allusiones, nunc per metaphoras vel alias figuras ex eis depromptas. Quae proinde intelligi recte non possunt, harum rerum indole ac ratione ignorata, vel etiam si velint res istae intelligi prout nobis res illae notae sunt, et ex nostris moribus, falsus aut absurdus Scripturae videbitur sensus. Ita ex. gr. nonnullae metaphorae vel similitudines ab animalibus quibusdam

desumptae quae nobis viles aut indecorae videntur ex eo explicandae sunt quod nonnulla animalia quae apud nos abiecta ac vilia habentur, puta asinus, apud Hebraeos magis in honore fuerunt. Qui nescit formam domorum et lektorum apud veteres Hebraeos et Orientales non intelliget verba illa Christi Matth. X, 27: « Quod in aure auditis praedicate super tecta; » mirabitur etiam quod Saul dicatur dormisse *in solario* domus Samuelis, ibique cum propheta loquutum esse, ut narratur 1 Reg. IX, 25, et Davidem regem deambulasse *in solario*, seu super tectum palatii, ut legitur 2 Reg. XI, 2. Verum si cognoverit tecta Hebraeorum plana fuisse, et ita comparata ut Hebraei frequentes ibi essent ad ambulandum, ad morandum, cibum capiendum, et quieti etiam aestivo tempore indulgendum difficultas omnis evanesceat. Alia quoque exempla ex ratione convivandi afferri possunt. Ita frequens illa in Christi sermonibus allegoria qua peccatores dicuntur eiciendi « *in tenebras exteriores*: ibi erit fletus et stridor dentium, » quae minus apta videtur, quia in inferno tenebrae potius interiores sunt, et non frigus, sed calor et ignis desaevit, explicanda est ex more Hebraeorum convivia habendi intempesta nocte: enim igitur coelestis beatitudo convivio compararetur, fiebat ut ii qui a coelo excluduntur comparandi essent iis qui e domo convivii reieci relinquebantur in via, ubi tenebrae et frigus nocturnum. Ex modo autem accumbendi in convivii multa in Evangelio narrata explicantur, quae secus absurda aut ridicula forent, ut cum Iohannes dicitur in ultima coena *super pectus Christi recubuisse* (Io. XIII, 23, XXI, 20), et cum de Maria Magdalene Christum mensae Pharisaei accumbentem adeunte dicitur Luc. VII, 38: « *Et stans retro secus pedes eius*, lacrymis coepit rigare pedes eius » quae impossibilia videntur si cogitemus de ratione assidendi mensis, quae apud nos in usu est, si vero consideremus veteres circa mensam in thoris quibusdam super latus reclinatos accumbere solitos fuisse ita ut pedes extra mensam extarent, et caput uniuscuiusque conviviae haud procul abesset a pectore alterius vicini, omnia illa facile intelliguntur.

Huc etiam pertinent plures metaphoricae locutiones, vel aliae figurae sacris Scriptoribus familiares, quae nonnisi adiunctorum quorundam externorum cognitione praesupposita recte intelligi pos-

sunt. Ita ex. gr. quod pars occidentalis saepe per vocem \square seu *mare* designetur, et meridionalis per \square seu *destram*, septentrionalis vero per *sinistram*, intelligi non potest nisi sciamus nomina maris antonomastice ab Hebraeis designari mediterraneum, quod ad Occidentem Palaestinae iacet, et Hebraeos partes mundi distinguere solitos fuisse converso ad orientem vultu, ita ut anterior pars esset Oriens, dextra Meridies, et sinistra Septentrion, secus ac apud nos fieri solet. Quae leguntur Matth. XVI, 19 a Christo dicta Simoni Petro: « *Et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis,* » parum congrua videntur utpote quae duas metaphoras coniungunt, quae apud nos nullum nexum praeseferunt, claves enim non ligant, sed claudunt, non solvunt, sed aperiunt: verum cessat difficultas si attendamus formam ianuarum, et serarum apud Hebraeos quae ita describitur ab Ackermann in Archaeol. Biblica §. 37: « *Foras claudiebantur sera vel vecte, aut etiam repagulo seu pessulo... sera vero non erat nisi pessulus ligneus volubilis valvae portae affixus, qui ingrediebatur in foramen postis et incisus quibusdam dentibus incidebat in rastrum, quare lorum, aut fortasse duo lora, pessulo adnexa per foramen permeabant, in exteriorem portae faciem, quorum altero attracto, pessulus serae in foramen postis promovebatur, et dentibus in illud rastrum incidebat, ut retrahi non posset. Aperiens habebat clavem ligneam satis magnam et instar falcis aduncam \square (Iud. III, 25), qua per foramen immissa, pessulum ex rastro sublevabat, et altero lora subtraheret, quod ut facilius perficeret portam ad se attrahebat.* » Quare claves vere dici poterant portam *ligare* aut *solvere*. Innumera alia exempla adduci possent praesertim ex libris V. T., sed haec speciminis causa satis esse possunt.

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS UNDE ADIUNCTORUM EXTERNORUM NOTITIA HAURIRI POTEST

Cum tanta sit utilitas ac necessitas cognoscendi historica adiuncta locorum, rerum, ac personarum ad rectam Scripturae intelligentiam, operae pretium est scire undenam accurata harum rerum

notitia ab interprete derivari possit. Animadvertimus igitur duas vias praesto esse per quas interpres ad hanc scientiam pervenire possit, quarum altera facilior ac brevior est, altera longior ac difficilior, multo tamen certior et ad perfectam Scripturae intelligentiam efficacior. Prima via est lectio ac studium operum illorum quae *Archaeologiae biblicae* nomine designari solent, in quibus docti viri breviter et ordinate tradiderunt ea quae de externis circumstantiis rerum, ac personarum biblicarum interpreti discenda sunt: altera vero est directum et immediatum studium fontium, ex quibus haec omnia innotescere possunt, et ex quibus tractatores *Archaeologiae biblicae* hauserunt, vel hausisse praesumuntur. De utroque medio nonnulla animadvertenda sunt.

I. *Archaeologia biblica* tractari potest vel elementari modo, vel sublimiori. Elementaris *archaeologia*, quae tyronibus utilis est, totum complexum praecipuarum saltem rerum discendarum sub uno conspectu, et certo quodam ordine sistit. Eius partes praecipuae sunt: 1° *Geographia Palaestinae* et finitimarum regionum, adeoque totius Asiae Occidentalis. 2° *Historiae biblicae* prospectus una cum *chronologia*. 3° *Historia naturalis Palaestinae*, et *Orientis*. 4° *Status politicus ac religiosus Hebraeorum*. 5° *Mores et consuetudines eorundem*, nec non aliarum gentium quarum frequens est mentio in sacris literis.

Auctores qui elementarem *archaeologiam biblicam* tradiderunt plures laudari possent. Ex his notissimi sunt Io. Iahn in sua *Archaeol. bibl.* germanice edita, et Four. Ackermann in sua *Archaeol. biblica breviter exposita* Viennae 1826, in qua Iahnii opus sequitur, sed periculosas ac temerarias eius opiniones vel omittit vel corrigat. Item plures alii germani scriptores qui similia opera vulgaverunt sub nomine: *Manualis Archaeologiae biblicae* ut Rosenmüller Lipsiae 1823 seqq. Bellermann (1796–1805). Allioli Landshut 1844; De-Wette. Lipsiae 1830; Scholz. Bonn. 1834: quibus addere placet praeter notum *Dictionarium biblicum* Aug. Calmet saepius editum gallice, latine et germanice, duos italos scriptores doctissimos nempe Ios. M. Pulci-Doria, *Hebraicarum antiquitatum opus in duos libros distributum* Neapoli 1784, et And. Ferrigni De-Pisone in volumine 2° et 3° *Institutionum biblicarum* Neapoli 1849–57, praeter alios multos, quos laudare praetermittimus.

Copiosiores vero et sublimiores tractatus de antiquitatibus biblicis infiniti pene sunt, qui tamen unam vel alteram tantum *Archaeologiae* partem vel rerum classem exponunt. Ex his praecipuos collegit, suis quoque additis, Bl. Ugolini in *Thesouro antiquitatum sacrarum* Venetiis 1744–69 triginta quatuor voluminibus in folio. Ita, ut paucos ex celebrioribus nominemus, de *geographia Palaestinae* egregium opus edidit Hadr. Relandus: *Palaestina ex monumentis veteribus illustrata*, cui post alios multos accessit L. G. Gratz in suo *Theatro eventuum biblicorum* primum germanice edito, tum vero gallice collatis studiis Gimarey et Bugnot: *Théâtre des événements racontés dans les divines Ecritures*, Paris 1869–70; De *chronologia* insigne est opus Usserii: *Annales veteris et Novi Testamenti* pluries variisque in locis editum; Petavii: *Rationarium temporum* Lugd. Batav. 1724. De *animalibus* in Scriptura memoratis celebre est opus Sam. Bochart cui titulum fecit *Hierozoicon*, cuius editio aucta a Rosenmüller prodiit Lipsiae 1793 seq. De *plantis* Sacrae Scripturae extat Olai Celsii *Hierobotanicon* Upsalae 1745–47: de *morbis et medicinis* scripsit Reinhart: *Bibelkrankheiten des Alten Bundes* Lipsiae 1767, et de universa physica sacra post alios multos recentissime prodiit opus Reusch: *Bibel und Natur*, primum germanice scriptum, mox vero gallice, italice aliisque linguis redditum. De *statu politico et religioso* Hebraeorum plures tractatus editi sunt, quos inter celebre est opus Io. Spenceri *De legibus Hebraeorum ritualibus et earum rationibus libri tres* Lipsiae 1705, et Com. Bertrami: *Politia Iudaica tam civilis quam ecclesiastica*, et Sigonii *De republica hebraeorum*. Demum de *moribus Hebraeorum publicis et privatis*, praeter dissertationes plures Calmeti, Lamii, Relandi, Schroederii, Bynaei, Geieri, aliorumque, qui speciales quasdam consuetudines Hebraeorum illustrarunt, extat generale opus F. C. Rosenmüller: *Das alte, und neue Morgenland* (Vetus et novum Oriens) Lipsiae 1818–20. Sed hos paucos innuisse sufficiat.

II. Verum diximus pleniorum et certiorum harum rerum notitiam ex ipsis fontibus derivandam esse: ut enim in coeteris scientiis, ita in *biblica Archaeologia*, copiosius, certius et utilius ex fontibus ipsis quam ex rivulis hauritur. Non solum enim studiosus fontes consulens certus fit de historica veritate eorum, quae discit, quin cogatur recentiorum testimonio et relationibus fidere, sed

insuper dum unum inquirat, et discere conatur innumera alia cum illo connexa invenit, et familiaritatem quamdam cum antiquis populis et vetustis eorum monumentis sensim sine sensu sibi comparat, quae quanto usui sit in universa literatura, et speciatim in studiis SS. Scripturarum vix verbis exprimi potest. Quinam autem sint fontes illi antiquitatum biblicarum paucis indicabimus. Possunt hi dividi in tres classes: alii enim sunt fontes *Judaici*, alii *Christiani*, alii *Pagani*.

1° Fontes *Judaici*. 1) Primum fontem constituunt ipsi *libri sacri V. T.*, imprimis Pentateuchus: ex eius enim attenta lectione plurima ediscuntur de antiquo statu Hebraeorum eorumque circumstantiis ac consuetudinibus, quae plus minus et quoad substantiam eadem perseverarunt usque ad Christi et Apostolorum tempora.

2) Succedunt antiquae Iudaeorum versiones Sacrae Scripturae, imprimis versio Alexandrina, et paraphrases chaldaicae, quae non raro libere textum vertentes quaedam opportune explicant de obscurioribus adiunctis rerum ac personarum biblicarum.

3) *Libri apocryphi V. T.* alias commemorati ad res biblicas illustrandas utilem aliquando opem praestant, quamvis caute adhibendi sint, quod etiam de paraphrasibus seu Targumin chaldaicis recentioribus monendum est.

4) *Talmud* etiam tamquam fons opinionum et consuetudinum Iudaicarum habendum est, caute tamen adhibendus ob recentiora veteribus commixta: quod multo magis valet de Rabbinarum scriptis, ut Aben-Ezrae, Maimonidis, Abarhanelis aliorumque, qui longe recentiores sunt Talmudistis, licet aliquando lucem affundant quibusdam locis praesertim Novi Testamenti.

5) Longe utiliora sunt *scripta Philonis* Iudaei, et *Iosephi Flavii*, praesertim huius opus *de Antiquitatibus Iudaicis*: quamvis et iste a suspitione accommodationis factae placitis Graecorum et Romanorum, in quorum gratiam scribebat, non semper immunis sit.

Omnes praedicti fontes, ut supra innuimus, Iudaici dicuntur ratione tantum originis, verum ratione obiecti seu finis non solum pro epocha Iudaica, et ad intelligendos libros sacros V. T. utiles sunt, sed etiam pro epocha christiana, et ad intelligendam historiam et doctrinam N. T. Quinimo plura fortasse a viris doctis exinde derivata fuerunt ad illustrandos libros N. T. quam ad libros V. T. Ex his

observationibus plures collegerunt Wetstenius in adnotationibus in N. T. 1751, Io. Lightfoot in opere: *Horae hebraicae et Talmudicae* Lipsiae 1679 I. G. Meuschenius in: *N. T. ex Talmude et antiquitatibus illustratum* Lipsiae 1736, et Io. Leusden in *Philologo hebraeo*, et *Philologo hebraeo mixto*. Ultraiecti 1699: praeter doctiores Scripturae commentatores, qui in locis difficilioribus explicandis non omittunt ex praedictis fontibus ea quae opportuna sunt derivare.

2° Fontes christiani.

1) *Ipsi Libri sacri N. T.* fontem praecipuum constituunt notationum biblico-christianarum. Ex attenta enim lectione praesertim historicarum partium, et accurata plurium locorum collatione et compositione multarum rerum notiones declarantur, quae in singulis locis obscuritatem praeseferunt.

2) *Scripta Patrum antiquorum* praesertim eorum qui Apostolici dicuntur, quibus addi possunt Origenes, Eusebius Caesarensis, et Hieronymus, qui licet paulo recentiores, ob antiquitatis tamen studium, exquisitam eruditionem, et familiaritatem cum doctoribus ac libris Iudaeorum de rebus biblicis idonei plerumque testes sunt.

3) *Apocrypha N. T.* in quibus satis multa occurrunt ex traditione accepta ad Scripturam praesertim N. T. illustrandam opportuna: ut vidimus in Parte II Criticae Introd.

4) *Scripta haeticorum* vetustissimorum, ex quibus accuratiorem notitiam derivare possumus quorundam errorum ad quos Hagio-graphi N. T. imprimis Paulus, et Iohannes respiciunt. Hoc valet praecipue de haeticis Iudaizantibus, de Cerinthianis et de Gnosticis; ex quibus tamen pauca scriptorum fragmenta supersunt, multo tamen plura cognoscere datur ex operibus Irenaei, Epiphani et recens detecto opere *Philosophumennon*.

3° Fontes Pagani.

Cum in Sacris Scripturis saepissime mentio occurrat aliorum populorum, sive Orientalium sive Graecorum et Romanorum, imo magna historiae biblicae pars cum illarum gentium historia connexa et intermixta sit, unusquisque videt fontes etiam paganos adendum esse, ut exinde uberior notitia comparetur gestorum, consuetudinum, opinionum quae in Scripturis obiter commemoran-

tur, atque ita ipsarum Scripturarum sensus in illis locis plenius intelligatur. Itaque sequentes praesertim fontes consulendi sunt.

1) *Auctores Graeci et Latini*, ex quibus alii pro cultiorum gentium opinionibus et moribus intelligendis potissimum inseruiunt, quales sunt ex graecis Plato, Epicetus et Aristoteles, ex latinis autem prae coeteris M. T. Cicero in libris de natura Deorum, de Divinatione, de Officiis aliisque philosophicis. Alii vero ad opiniones vulgi eiusque mores descendos potissimum valent: hi vero sunt prae coeteris poetae et dramatici, ut ex. gr. Homerus et Hesiodus, Lucianus in dialogis, et Aristophanes in comediis ex Graecis, ex Latinis vero Ovidius in libris Metamorphoseon, Plautus, Terentius, nec non Iuvenalis, Persius, Petronius aliique satyrici. Denique historici utriusque gentis, ut Herodotus, Polybius, Tacitus, Svetonius magno usui sunt ad historiam biblicam illustrandam.

2) *Scripta et monumenta Orientalium* libris utriusque Testamenti intelligendis subsidium gravissimum praebent. Tales sunt sacri libri Persarum et Indorum, item opera S. Ephrem Syri et Abulfaragii, et Iamblici liber *de mysteriis* Chaldaeorum et Aegyptiorum. Ad monumenta vero referendi sunt nummi antiqui in Oriente detecti, imprimis vero vetustae inscriptiones Phoeniciae Aegyptiacae et Assyriacae, quarum satis magna copia recentius inventa est, et in dies augetur, amplissimumque scopum praebet ingenio ac eruditioni doctorum virorum, qui in iis perquirendis, legendis et interpretandis operam collocant (1).

III. Monita quaedam de recto usu fontium historicorum.

Ut fontium istorum usus reipsa causam interpretationis invel, aut illi ne noceat operae pretium erit quaedam monita studiosis praebere. Sunt autem sequentia:

1. Cavendum est ne quaelibet notio rerum aliunde percepta sacris quoque Scriptoribus tribuatur. Quod quidem valet non solum de falsis et absurdis circa quasdam res opinionibus, quas non licet Sacrae Scripturae affingere, licet vulgo Hebraeorum familiares essent, sed etiam de quibusdam nimis exquisitis ac perfectis notionibus rerum naturalium, et ad philosophiam pertinentium: nulla

(1) Quae hucusque breviter perstrinximus de fontibus historicae investigationis sensus Scripturae, uberius exponemus in sequenti tractatione de Archaeologia biblica.

enim ratio est supponendi Spiritum Sanctum voluisse haec sacris Scriptoribus inspirare, aut revelare. Quare, nostro quidem iudicio, falluntur qui philosophicas et physicas quasdam theorias subtilius excogitatas confirmare satagunt ex verbis Scripturae, quasi illae Hagiographis notae fuissent. De his igitur rebus tuto praesumi potest generatim loquendo sacros Scriptores nihil docuisse, sed eos loquendi modos usurpasse, qui in communi sermone eorum aetate adhiberi solebant nullum iudicium de obiectiva notionum veritate proferentes.

2. Caveat interpres ne suae aetatis aut regionis notiones inferat Sacris Scripturis, ubi de rebus agitur quae pro temporum et locorum varietate diversae quoque esse solent.

3. Inter varios fontes ordinem quemdam servet, ut ampliores et certiores coeteris praeferat, tum vero illos consulat ex quibus exiguae opes derivari possunt, ne scilicet incerta et obscura certis et claris anteponat, et pretiosa temporum momenta in superfluis aut parum utilibus insumat melioribus praetermissis.

4. In allegandis fontibus, aut monumentis minime acquiescet iis locis quae imperfecte et aliquando inaccurata apud varios auctores citata inveniuntur, sed ipse fontes adeat, et singula quatenus fieri potest in textu et contextu perlegat et expendat.

5. Demum in toto hoc negotio historicae inquisitionis modum teneat, ne scilicet indiscriminatim afferat locorum et monumentorum congeriem, quae difficile est aliquando intelligere et memoriam potius confundere quam mentem iuvare solent, neve ostendendae eruditionis causa profanos auctores citet ad ea loca illustranda quae nulla indigent illustratione, nec denique ea testimonia proferat quae specie tenus similia sunt iis quae in Scriptura leguntur, re tamen vera de rebus paullisper diversis pertractant. Hoc vitio immunes non sunt multi ex recentioribus exegetis praesertim protestanticis, ut Weistenius, Lightfootus et prae coeteris Paulsius, cuius insulsae et absurdas Evangelicarum narrationum illustrationes seu potius depravationes alias castigavimus.

Et haec satis sint de criteriis historicis, simulque de universa tractatione criteriorum et regularum *rationalium* hermeneuticae biblicae.